

F. H.
124,
59.

X 1876215

De Quadragesi
mâ.

II i
2616

D. V. D.

In

METALLIFERÆ FREIBERGÆ

Choro & Foro

VIROS

Splendore Generis, Amplitudine Munerum

Meritorumq; Gloriâ

NOBILISSIMOS, EXCELLENTISSIMOS,

AMPLISSLIMOS, GRAVISSIMOS

DOMINOS

PATRONOS,
INSPECTORES,
FAUTORES

Colendos, suspiciendos

AD

ORATIUNCULAS

Qvorundam commatis optimi Discipulorum

VALEDICTORIAS

de nonnullis *Passionis Dominicæ Adjunctis*

die 10. Martii

finitis sacris matutinis

habendas


officiosissimè

invitat

M. Tobias Liebel Freib.

Gymn. patr. Rector.

Typis Beckerianis.



Ivino munere ac beneficio id temporis nunc repetimus, cuius à priscis inde temporibus, in hunc usque diem inter nos, qui Christi nomen profitemur, viget solennitas ac religio. Graci Τεσαρεγνοσης, Latini Quadragesima nomine id communissime appellatārunt. Quæ appellatio istius solennitatis partim terminum, partim modum non obscurè indicat. Terminum quidem, quia initium ejus numerari consuevit à Dominica prima post eam, quæ Quintagesimæ nomen in Ecclesia obtinuit: ab illa enim die usque ad Feriam Quintam in Cœna Domini numerantur quadraginta dies; Modum verò, quia dubio procul respectum habuerunt veteres ad Quadragesimale jejunium, quod alio, sed barbare nomine Carniprivium & Privicarnium, ab abstinentia à carnis dixerunt, antiquitùs institutum. Quo autore, si quæras? ejusdem de predictores Pontificii ipsi inter se dissident. Quidam Apostolum Petrum id instituisse perhibent, quos plus trecentis abhinc annis false quidem, sed merito tamen irrigit D. Johannes de Wessalia, Concionator Wormatiensis: jussus enim ab haereticorum inquisitoribus fidei suæ rationem reddere, inter cætera contra Pontificem statuit; Si Petrus jejunium instituisset, patuisset existimari, ideo fecisse, ut pisces suos faciliter ac citius renderet. Sed Christum non precepisse à carnis abstinenre, nec ullum unquam cibum prohibuisse. (v. Job. Wolf. Lect. Memorab. T. I. p. 875.) Alii cum Baronio T. I. Annal. Eccl. p. 514. jejunium istud in genere Apostolicam contendunt esse institutionem, idque probare nituntur ex Can. LXVIII. Apostol. ubi: εἰ τις ἐπισκόπος, ή πρεσβύτερος, ή Διάκονος, ή ὑποδιάκονος, ή ἀναγνώστης, ή Φάληρος & αἱρας Τεσαρεγνοσης & μητέρων, καθαρεῖται. Si quis Episcopus aut Presbyter, aut Diaconus, aut hypodiacaonus, aut Lector, aut Cantor sanctam Quadragesimam non jejunaret, deponitor. Ex S. Hieronymo ad Marcellam adv. Montanum: Nos unam Quadragesimam secundum traditionem Apostolorum, toto anno, tempore nobis congruo, jejunamus. Ex Serm. VI. Leonis de Quadragesima; Ut Apostolica institutio quadraginta dierum jejunis impleatur, non ciborum parcitate tantum modo, sed privatione maximè virorum. At verò nec Apostolicæ id esse constitutionis evincit partim, quod nullum ejus in Scriptura vel vestigium vel indicium appareat; partim, quod ejusnon eadem ubique fuit observatio. Videatur Antiquitatis Ecclesiastice Heluo CL. Sacerdos in Thesauro Eccles. T. II. p. 405. sqq. ubi ex Irenæo, Eusebio, Socrate, Sozomeno, Nicephoro, Augustino &c. fusiùs demonstrat, magnam fuisse diversitatem in dierum numero, trium vel sex vel septem hebdomadarum: in continuazione vel relaxatione jejunii, unius pluriumve dierum: in generibus ciborum: non tantum in publico discrimine pro variis regionibus, sed etiam in privato; quia nimis quisque jejunavit pro arbitrio, non tantum pro viribus. Rursus alii cum Eusebio in Chronico, circa A. C. 136. Quadragesimalis jejunii institutionem tribunt Telesphoro, Græco, VI. Pontit. Rom. qui (juxta Baron. Martyrolog. Rom. p. 18.) Vigiliâ Epiphaniæ Domini Romæ sub Antonino Pio post multos labores pro Christi confessione illustre martyrium duxit. Sed ipse Baronius Annal. Eccl. T. 2. p. 91. & 129. non de recenti institutione, sed solenni potius ejusdem confirmatione id vult intelligi. Ex Irenæo verò apud Euseb. l. 5. Hist. Eccles. c. 23. discimus, fuisse consuetudinem ab omnibus simplicibus privatâ religione introductam. Additurque ibidem: ad unitatem vere fidei non opus esse similitudine rituum in jejunis.

Si

Si qværas porrò, quo sine? Promtissimi respondent, id institutum fuisse ad imitationem Christi, qui, ut est Matth. IV. 2. Luc. IV. 2 totos 40. dies sine cibo & potu jejunavit. Sed fallunt fallunturque, qui jejunio Quadragesimali istum finem prætexunt. Probent enim necesse est, jejunium tale s. abstinentiam ab omni cibo & potu, per totos 40. dies, sicuti eam Christus observavit, cuiquam hominum esse possibilem: Probent, ubi Christus jejunii sui imitationem vel mandaverit, vel ad eam nos inviterit: Probent, quod Discipulos ad ejusmodi jejunium, singulis annis repetitum, Servator adsuferetur: Probent nobis imitanda esse ea, quæ Christus ratione officii sui mediatorii perfecit, (ad quod ejus jejunium quoque pertinet, cum per illud nostram ingluviem aliaque peccata expiarit) sed hoc certè probabunt nunquam. Taceo ista jejunia Pontificiorum Quadragesimalia esse cultus electitii simulacra, tyrannica diabolica, blasphemæ Simoniaca, hæretica, hypocritica, & veri jejunii, cuius ratio in Scriptura nobis traditur, mera ludibria. Id quod egregie pluribus jampridem ad oculum demonstrarunt D. Mart. Chemnitius Exam. Trident. P. IV. p. m. 186. sqq. & D. Reinh. Backius Copios. Expos. Evangel. P. II. p. 73. sqq. Multò rectius & priscæ Ecclesiæ genio convenientius olim sensit Metrophanes Critopulus, qui (citante scrip. l. c. p. 406.) in Confess. Eccles. Orient. c. 18. cæteris rationibus, cur Quadragesimale jejunium observetur, istam quoque adjecit: ἐπειδὴ τῷ θυεῖσι τῷ / καὶ τοῖς περὶ οὐαὶν παθότοις συσυγχρεθαὶ καὶ συννεκρυμέναι τῷ υπὲρ οὐαὶν ἐστῶσι, ἵνα καὶ συνανατωμέναι αὐτῷ καὶ συνδοξαθωμέναι, ἢντας αὐτούσιν τῷ πάντων δοξαζουσίνων. I. e. Quoniam Domini pro nobis Passio tunc instat. Una cum eo, qui pro nobis crucifixus & mortuus, nos crucifigimur & morimur, ut una cum eo, qui iam tum resurrexit atque ab omnibus celebratur, etiam nos resurgamus & celebremur. Hoc etiam fine dies Quadragesimales olim celebabantur, Augustissimi Patris D. Augustini temporibus. Sic enim ille in serm. de Quadrages. Convenit nostræ devotioni, ut qui Domini Crucifixi passionem celebraturi sumus, reprimendarum carnalium voluptatum crucem nobis ipsis etiam faciamus. Et in prefat. 2. Exposit. Ps. XXII. Passio Domini celebratur. Tempus gemendi est, tempus flendi, tempus confitendi & deprecandi. Hujus obtinendi finis gratiâ in nostris quoque Ecclesiis hodieque usi receptum est, ut memoriam Passionis Dominicæ quotannis recolamus, ut de peccatis salubriter contrastati, gemitu & fletu nos ipsis agnoscamus atque (ut verbis utar Leonis M. Serm. 4.) fideliter cogitantes, de quali captivitate & quam miserâ servitute, quo precio redempti & quo brachio simus educiti, glorificemus Deum in corpore nostro. Neque adeo omnem hoc ipso tempore Quadragesimali jejunandi rationem respuimus, sed eam probamus maximè (o si nos omnes vitâ etiam nostrâ exprimamus!) quoque consistit in abstinentia à vitiis & peccatis. De qua Chrysostomus Homil. 3. ad pop. Antioch. Tuū νησίας, σὺν σιών αποχή, αλλὰ αὐαξηματῶν αὐαχώσας. Honor jejunii, non abstinentia à cibis, sed secessus à peccatis. Et Cyrillus Alexandr. in Orat. Pasch. 81. αληθῶς, τὸς νησίας ὁ Ἱερόπος, εἰν τοῖς ίτῶν αργεῖσιν ἔχειν επιδειξίσει μὴ Τρέφε τὸν υψηλὸν αἰολάσσοις ἡδοναῖς. Αργεῖσιν τῷ πολεμίᾳ τὸ πέντερον. Θεύγε τὸν αὐτούσιον τὸ ποιναρία. Hec vera jejunii ratio est: in his optimorum demonstratio est operum: Ne nutrias mentem immoderatis voluptatibus: cesset apud te fornicationis stimulus: fuge impurorum communionem. Quam insigni præterea sanctitate tempus Quadragesimale olim celebratum fuerit, id quoque non obscuro est indicio, quod (docentibus Dnn. Macris in Hierolex. p. 396.) in Quadragesima ante Pascha non celebrabatur festum alicuius Sancti: nec Natalitia, nec Nuptias in ea licuit celebrare. It, quod Norman-


ni

BR 71, 2618

ni Italici (observante Carolo du Fresne in Glossario med. & inf. Latin. T. 2. p. 484. ex Gregorio VII. P.P. lib. 9. Epist. 4.) per Quadragesimales dies à pugnis & præliis abstinuerint. Sed qvis calamus tandem sufficiat conscribendæ farragini eorum omnium, qvæ de Quadragesimæ solennitate apud Moscos, Ruthenos, Æthiopes, hodiernos Græcos &c. Filescus lib. de Quadrages. Job. Bapt. Corelerius in Not. ad lib. 5. Constitut. Apost. Christoph. Angelus de hodierno statu Græcorum c. 4. sqq. Sponius Itinerar. Grec. aliique Carolo du Fresne l.c. laudati autores gravissimi memoriæ prodiderunt. Abrumpo igitur sanctitate temporis Quadragesimalis commonefactus ipse, ut, cum Valedicturientibus & hinc ad Scholas regias discessuris qvibusdam Discipulis suppeditandæ essent materiæ, de qvibus ex Cathedra ultima, verba facerent, non profanas, sed sacras & meditationibus hoc tempore habendis non indignas eligerem. Prodibunt nempe Juvenes moribus commodis ingenuisqve artibus politissimi, de Passionis Dominica Adjunctis peroraturi, hoc qvidem ordine, ut eam consideret ceu

- I. *Voluntariam*, Gotthelff Christian Kreßschmar/
Sadisdorf. Misn.
- II. *Necessariam*, Johann. Christoph. Kreßschmar/
Sadisdorf. Misn.
- III. *Præcognitam*, George Zacharias Wagner/
Lorentzkirchâ Misn.
- IV. *Innocentissimam*, Samuel Müller/ Freib. Misn.
- V. *Verissimam*, Christophorus Amende/ Hainichio-
Misn.
- VI. *Satisfactoriam*, Gottfried Löwe/ Sadisdorf. Misn.
- VII. *Exemplarem*, Johannes Samuel Zeuchert/
Freib. Misn.
- VIII. *Meditatione qvotidianâ dignissimam*, Christophorus Grimmer/ Bobritio-Misn.

His auscultandis, ut Vos, Musarum nostrarum Patroni atq. Fautores suspiciendi, unius horulæ spatum dare non gravemini, ego qvidem submississime oro atque obscero ; illi vero hoc officii genus mecum grata semper & ubique mente circumferent, nulla ex re majorem capturi voluntatem, qvam si Vobis sua probari studia intellexerint.
Scrib. Freib. è. Museo d. 9. Mart. Anno salutiferi partus
M D C X C I I I.



MC.

F. K.
124,
59.

X 187 6215

De Quadragesi
mâ.

II i
2616

D. P. D.

In

METALLIFERÆ FREIBERGÆ

Splendore

Munerum

NOBILISSIMA
AMPLI

NTISSIMOS;
SIMOS

PAT
INS
F

OS,
RES,
S

Qvorundam

discipulorum

V
de nonnullis

A S
e Adjunctis

